



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinqve Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

De Alphonso primo Lusitani[a]e Rege, fundatore Militum Ordinis de Auis.
cap. LXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38372

De Alphonso primo Lusitania Rege, fundatore Militum Ordinis de Auis. Cap. LXXIII.



EBORA, ciuitas Lusitaniæ Celeberrima, & frequen-
ti Regum Portugalliæ domicilio nobilissima, qui-
busdam Militibus, quorum magna erat opinio uir-
tutis, ad Maurorum incursus arcendos, munienda,
custodiendaque data est, ab Alphonso, huius no-
minis primo, Lusitaniæ Rege, anno Domini 1147.
qui ut præmium labori esset, ipsam ciuitatem, cum subiecto agro
dono dedit Beatæ Mariæ Ordinis Cisterciensis, atque eius nomine
Ferdinando Monteiro primo Ordinis Magistro, & Socijs iure per-
petuo, unde illis primum nomen Eboræ Militum. Resque adeo cre-
uit, ut & Christianorum collationibus facultates maximas, & oppi-
da quamplurima possiderent, creato Magistratu cui obtempera-
rent. Aucti deinde, eiusdem regis munificentia an. 1181. tempore
Ferdinandi Yannez, secundi Ordinis Magistri, castro Auisio, ab eo
denominati sunt. Habitus, præter Crucem Rubram, ab initio nul-
lum discrimen.

Et in simili uarietate, sexaginta sex annis perseverantes fuere,
donec anno 1213. Garfæ de Aca, Magistri Militiæ Calatrauensium
liberalitate, donati sunt duabus amplissimis possessionibus in regno
Portugalliæ, & tunc primum formula Ordinis constituta, & albus
habitus, ad Crucem Rubram assignatus. Magistri eis fuere diuer-
sis temporibus, tum sanctitate, tum etiam bellica laude clari. Quan-
do militiæ Calatrauæ incorporati sunt incompertum, patet tamen id
accidisse post an. 1490. nam eo anno Frater Georgius, Ioannis Regis
Lusitaniæ filius, & Militum Auisij Magister mortuus perhibetur.

De filijs Regum Ord. Militum de Auis. Cap. LXXIII.



FRATER Ioannes, Petri Portugalliæ Regis, cogno-
mento Crudelis, filius Nothus, Miles, & Magister
militiæ Ordinis Equitum de Auis, post diuturnam
Ordinis gubernationem, Ferdinando Rege huma-
nis rebus exempto, Lusitaniæ Rex declaratus, mi-
ra toto regni sui tempore peregit. Primus nam-
que fretum Herculeum transgressus, tres insulas extra orbem eic-
cas